



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Concilia Provincialia Mediolanensis Sex**

**Borromeo, Carlo**

**Venetiis, 1602**

Officio, ipso pestilentiae tempore ministranda, & constans in primis ministratio. Cap. XIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

que ob causam omnes in locis curationis resideant, assidueque sint, quibus singuli Clerici adiungentur, qui eisdem in Missæ sacrificio, alijsque functionibus ministrent.

14. His Sacerdotibus, & Clericis, que ad victum, vestitumque necessaria sunt, suppeditabuntur à ministris publicis ex eo sumptu, unde alimmenta alijs præbentur, qui in eadem hospitali domo, locouè sunt.


15. Cum eisdem magistratibus, & decurionibus Episcopus aget, ut nihil denique in sumptibus faciendis, alijsque officijs præstandis præmittant, aut negligant: ut omni externa cura omnique externa administratione opportunè prospiciant imminuentibus necessitatibus. Id porro studium cum laudabile est, ac nomine Christiano, & commemorabili pietate dignum, tum planè necessarium.

16. Episcopus præterea certas domos, aut domicilia, locouè ampla, & à cæteris distincta parari studebit, quæ vsui esse possint, aut Ecclesiastici ordinis hominibus, qui præsertim collegiatim viuunt, aut monialibus, aut ijs, qui in hospitalibus curantur, si fortè pestis in monasteria, hospitaliaue loca inuaserit. Ad quæ domicilia, locouè, vel ij omnes, qui in pestem, suspicionemue inciderint, perducantur, asportenturue; vel contra fiat, ut scilicet peste affectis remanentibus, ad illa ipsa domicilia cæteri benè valentes & ab omni suspitione liberi, qui sunt eiusdem vel collegij vel monasterij, vel hospitalis ædis, habitatum veniant, nè illorum contagione inficiantur.

Officia, ipso pestilentie tempore ministranda, & constans in primis ministratio. Cap. XIII.

## S V M M A R I V M.

- 1 Pestilentie tempore ab Episcopo sollicitudo laboriosior adhibenda: quæque officia tunc ab illo præstanda cum Parochis, Sacerdotibus, Magistratibus, populo.
- 2 Parochi & constantia, & quibus argumentis, ac rationibus illam Episcopi & sibi comparent.
- 3 Eorundem ardentior caritatis zelus, multorum sanctorum exemplo.
- 4 Populi constantia, & officia.

1  Vm pestilens contagio, vel in ciuitate, vel in aliquam eius partem uel in Diocesim, eiusue locum aliquem sese infuderit, eò diligentior cura, & sollicitudo laboriosior proposita Episcopo erit, quò grauius, certiusque periculum fidelibus, suæ curæ commissis, instat.

Paro-



Parochorum, & Sacerdotum, quos conquiserit, sollicitudinem omni cohortatione, omnique officio, atque imitationis exemplo, quo alijs præibit, ardentius accendet.

Quem verò locum pestis peruaferit, eò quàm primùm Episcopus certos Sacerdotes mittet, qui spiritali curationi incumbant. Cui curationi interea Vicarius foraneus, si locus Diœcesis sit, providebit, dum Episcopus illos mittet.

Magistratum, decurionumque studium, & procuracionem, quam pestis periculo imminente paulò antea exercitarat, uehementius eo ipso tempore in flammam non desistet, quo pestifera lues iam serpere incepit.

Populi item caritatem, & pietatem sanctissimis, tum orationum, piarumque exercitationum, tum misericordiarum operum institutis, eò diligentius, studiosiusque incendet, quò uehementius illum, pestilentiarum metu perculsum, afflictum, ac penè prostratum cernit.

Quo in genere illam animi consternationem, ac stupiditatem quasi uecordiam quandam, quæ ex repentinis illis funestæ labe euentibus quàm sepius accidit, ex hominum mentibus ita euellere studebit, ut & summi, & medij, & infimi non modo præ timore partes officij sui non deserant; sed ergà Deum religione, & pietate in patriam, & amore ergà suos, & caritate in ciues, ualdè accensi, in omni fortitudinis, constantique officio sese contineant, atque excitent, non solum ad labores, Christi Domini causa necessario tempore fortiter sustinendos, sed ad pericula etiam subeunda constantissimè. Itaque omnium animos confirmabit, non dictis tantum, sed factis, Episcopali robore, Episcopalisque uirtutis uerè dignis.

Perpetuò igitur huc, atque illuc accurret, afflictos eriget, mærentes, mæstosque consolabitur, egentes subleuabit, orationis studium excitabit, opera, atque officia pietatis languere non sinet; & omnia denique tuebitur, quibus animi exsuscitantur, & maiores fiunt ad omnem sanctarum uirtutum exercitationem.

2 Parochi autem, & Episcopi præclaro documento, exemploque instructi, & proposita in primis etiam sibi illa immensa caritate, qua animas sibi in curam traditas, Christus Dominus dilexit, præciosoque sanguine, in ara Crucis profuso, redemit, non modo umquam non erunt in ancipiti deliberatione officiorum, quæ eis necessario præstare debeant, sed nihil potius statuent, quàm illis in discrimine, calamitateque uersantibus, omne spirituale pabulum ministrare, etiam si uite periculum subeant, memoria, & recordatione ea excitati, quòd sibi specialis cura commissa est, illas pascendi.

Et uerò meminerint, multò conuenientius, negligens quoddam studium obijci, quò ipso ad Parochiales suos spiritalibus adiuuentis necessario

fario



fario tempore subleuandos adhibent, quàm quòd uitio ijs dari solet, qui languescente caritate sunt, nullaque cura ducuntur eosdem adiuuandi rebus ad corporis usum necessarijs.

In ea etiam recordatione versabuntur, magnam sibi oblatam opportunitatem, & accommodatam, cum ad vitam pro grege profunden datam, tum ad operam ei vtiliter, necessarioque nauandam, non sine præclara testificatione desiderij, & zeli, quo exardescere debent salutis animarum.

In contagionis etiam periculo, quod certè hominum opinione longè minus est, ob oculos sibi ponent præcipuam illam curam, qua suos ministros Deus admirabiliter tuetur, ab omni periculo incolumes conferuent, dum ad diuinæ maiestatis gloriam, animarumque salutem procurandam, ministeria sua religiose conferunt. Id quod pestilentie superiori tempore animaduerti licet, quo per pauci, aut ferè nulli animarum curatores, qui in suæ curæ benè gerendæ officio, constantissimi, Parochialibus suis peste tabescentibus cum alia sacramenta, tum extremam etiam vnctionem ministrarint, mortem obierunt: contra verò qui à sui ministerij functione longè refugerunt, cum plures morte erepti fuerunt.

Si rursus contra euenisset, hoc secum statuent, nihil Sacerdoti, curam animarum gerenti, optabilius, nihilque ad caritatis meritum ferè præstantius, quàm pro animarum, quæ sibi, suæque fidei concredite sunt, salute mortem oppetere. Immo verò non defuerunt sanctissimi viri, qui scripserunt tale mortis genus, à martyrij gloria non longè admodum abesse.

His, atque adeò alijs huius generis commentationibus, & rationibus, quæ permultæ, illæ quidem sacrarum litterarum monumentis consignatæ sunt, & sanctorum patrum documentis, exemplisque explicatæ, Parochi, quasi stimulis curæ suæ incitati in dies ardentiori zelo sese inflammabunt, ad rectè, cumulatèque exequendas Parochialis sui muneris partes.

3 Iam verò igitur, & Episcopus pastoralis officij sui religione adductus, & ijdem Parochi, animarum uè curatores, muneris suscepti rationibus commoti, studiosè, sollicitèque præstabunt, muneris, ministerij sui officia: ad quæ etiam, atque etiam vehementius sese excitabunt, exemplo accenti sanctorum virorum, Cypriani martyris, Basilij Magni, & Nicolai Episcoporum, Bernardini Senensis, beatique Rochi, quorum omnium mirifica in contagioso morbo cura extitit, & præterea Augustini sanctissimi epistola ad Honoratum conscripta, & præclaris item illis Dionysij Alexandrini litteris, ex quibus Sacerdotalis, Clericalisque officij functiones, quas in grauissimo peste Sacerdotes, Dia-

conique



conique executi sunt, à se etiam omni caritatis studio, suscipiendas præstandasque facile intelligent.

Sed nè longè solum exempla petantur, domi etiam sunt, quorum documentis homines Ecclesiastici ordinis ad omne caritatis officiorum genus in pestifera labe exequendum instruantur.

Atque ij quidem sunt, Metropolitanæ Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopi duo, omni laude florentes, Benedictus, & Aspertus. Hic in teterrima peste, quæ suo tempore omnem Italiam, populumque Mediolanensem præcipuè inuasit, pestilenti lue tabescentes perpetuo studio visitasse, eisque sacramenta omnia ministrasse fertur: idque ipsum officium, eius exemplo, & iussu Parochi etiam accuratè præstitisse dicuntur, ille omni Europa, Italia, & vrbe, ditioneque Mediolanensi præsertim pestilentia morbo vexata, atque afflictæ, cum ea ipsa officia præstitisset, tum cibum etiam, ac victum tabe languentibus manu sua ministrasse commemoratur.

4 Populus denique fidelis, Ecclesiasticorum hominum studijs, atque exemplis inflammatus, & eiusdem Dionysij præcipuis litteris communitus, non afflictione, quasi tabescens, sed immenso quodam caritatis Christianæ, benevolentiaque fraternæ ardore incensus, patriam non destituet, coniunctissimos non deseret, fidelium corpora insepulta non proiciet, neque cætera ager, quæ à deliberationis Christianæ officio aliena, olim gentes, à fidei religione auersas in pestilentia egisse iisdem Dionysij litteris, proditum est.

Immo is occasionem nactus sanctè exercendi officia caritatis, omnisque religiosæ virtutis talem se præstare studebit, quales in teterrima illa peste, quam ipsius item Dionysij litteræ narrant, extitisse dicuntur, qui minimè perterrefacti, postis morbo afflictos frequentissimè inuisabant, illis sedulò inuisebant, curationemque omnem ob Christi amorem pro viribus adhibebant.

Cautiones adhibendæ nè pestis latius serpat.  
Cap. XIII.

S V M M A R I V M.

- 1 Cautiones, quæ ab Episcopo adhibendæ nè pestis latius serpat.
- 2 Processionum usus, & ordo. 3.
- 4 Scholæ institutionis Christianæ, quo loco pestis tempore habenda. Officia Parochialia qua in Ecclesia gerenda, ubi Ecclesia Parochialis sit extrà septa.

Sanctissi-